

8552.

29


1762 9

I V S
RELEGANDI
E I V S Q V E
IN REPVBЛИCA VSVM
EX L E G I B V S
IVRIS NATVRAE ET GENTIVM
REGVLISQ V E POLITICIS
ILLVSTRAT
S I M V L Q V E
P R A ELECTIONES SVAS AESTIVAS
INDICIT
M. ERNESTVS GODOFREDVS CHRISTIANVS
SCHROEDERVS
FACVLT. PHILOSOPH. ASSESSOR. ORD



VITEMBERGAE
EX OFFICINA GERDESIANA

LIB
RELEGANDI
IN REPUBLICA VSAV
EX PEGELAE
URIS NATVRAE ET GENITIV
REPUBLICAE POLITICIS
HISTORIAT
S I M A L O A E
TUNDICITIONES CIVIS MESTENS
INDICIT
M ERNSTAS GODORFEDAS CHRISTIANUS
CHSOPEDRAS
LACALI. THILOSOHN. ASSEROR. OGD
NITENBERGIA
EX GALLICINA QURDIBETANIA



IVRE RELEGANDI

EIVSQUE

IN REPUBLICA VS

QVAMVIS quidem non paruam percipiamus. Ius civitatis nos reddit fortunatos.
utilitatem ex vinculo illo communi, quocum
Summum Numen universum genus huma-
num sapientissime inter se continxit, multo tamen mai-
rem felicitatem praebent societas illae, quarum membra
arctius inter se sunt connexa, quae optimis saluberrimisque
legibus, sive illae sint literis consignatae, sive per tradicio-
nem propagentur, sunt instructae, quasque civitates appellare consueimus. Cum enim leges omnes, quae in illis
valent, ad salutem civium amplificandam, securitatemque

A 2

publi-

publicam tuendam sint latae, cives etiam, qui tales societatem constituant, ad mutuum adiutorium praestandum pacto sese obligant, unusquisque eorum feliciter, iucunde, secureque vivere potest, neque in illis molestiis, calamitatibus perpetuisque ob metuendam bonorum vi- taeque amissionem periculis versatur, quibus miseriis iste, qui nulli civitatis fructus iure, semper est subiectus.

BIBLIAE

Ad hoc tueri nonnunquam poenis est utendum. SED, neque sola societas, neque etiam sola legum promulgatio, nos in civitate viventes omni ex parte beatos reddere possunt, nisi etiam socialis legibusque consentanea a civibus agatur vita. Cum vero mens humana ad mala perpetranda sit propensissima, nihilque vetitis lubentius, ius- fisque nihil faciat aegrius, incitamenta sunt adhibenda, quibus cives ad legibus obtemperandum impelluntur. Quod efficitur, tum praemissis, quae civibus optimis largiuntur, tum poenis, quibus legum violatores afficiunt magistratus. Ex paucitate vero bonorum, et multitudine eorum, qui ad legum transgressionem inclinant, facile colligi potest, plus poenis, quam praemissis, ad conservandam civitatem incoluntatem esse utendum. Hinc faciunt est, ut apud omnes gen-

tes

EIVSQUE IN REPUBLICA VSV.

tes ad coercendam civium variam peccandi libidinem variae
invaluerint poenae, quarum singulas species iamiam recen-
sere, et explicare, nimis foret prolixum.

IN SIGNIS tamen hic poenarum numerus ab eruditis ad
duo plerumque reducitur genera. Distinguuntur enim
poenae in capitales, et non capitales, sive, ut aliis placet,
in civiles, et criminales, neque omni caret fundamen-
to, si dividantur in tales, quae vel ad personam ipsius delin-
quentis spectant, et in tales, quae externam eius attingunt
conditionem. Ad poenas prioris generis pertinet, si
reus, vel virgis tantum, fustibus, aliquisque eiusmodi instru-
mentis caeditur et castigatur, vel si corpus eius mutilatur,
membraque, nimirum oculi, lingua, aures, manus-
que ei adimuntur, quod in nonnullis adhuc usu receptum est
regionibus, vel si vita privatur, quod sit per capitum diminutio-
nem, strangulationem, combustionem et quae sunt reliqua
supplicia nonnunquam nimia peracta atrocitate. Poenae,
in quarum impositione ad exterrium eius, qui legibus sese
accommodare noluit, statum attenditur, vel concernunt
eius bona arque opes, quod in mulcta et confisca^{tione} ac-

cidere

A 3

cidere



cidere solet, vel eius respiciunt famam, qualis est ab officiis remotio, degradatio, ad palum alligatio, stigma fronti humerisque inustum, aliaque, quae quandam afferunt ignominiam, vel auferunt libertatem, qua unusquisque civium gaudet, inter quas numerantur custodia, carcer, et condemnatio ad labores publicos, vel denique omne ipsius ius, siue tanquam liber homo, siue tanquam servus, in civitate vivendi tollunt, eumque ex reipublicae finibus egredi cogunt,

De qua in Hunc postremum puniendi modum in praesenti paullo præsenti agi. uberioris illustrare constituimus nobiscum, et, expositis gentium variarum circa hanc poenam ritibus, inquirere, an cum iure consentiat naturae, commodumque reipublicae amplificetur, si cives ob crimen quoddam commissum ex civitate ejiciantur.

*Origo huius
poenae.*

Quod ad originem huius poenae attinet, illa certe pro omnium poenarum antiquissima est habenda. Non enim ante pauca est inventa secula, non Imperatores, Theodosium sum atque Iustinianum, iuris civilis instauratores, autores habet, non Graeci nec Romani eam invenerunt, sed ortus

eius

eius ab huius universi incunabulis haud incommodo
 videtur esse repetendus, cum protoplastis haec poe-
 na primum in Paradiso a Deo ipso fuerit impo-
 sita. ^{a)} Simulac enim Adamus atque Eva manda-
 tis divinis minus fuerant obsecuti, Summum Numen,
 praeter annunciationem molestiarum, quibus nunc vita
 eorum repleatur, etiam eos ex Paradiso proscriptit atque
 in exilium mittit, respectu prioris conditionis, durissimum,
 et, ne in hunc locum amoenissimum reverterentur, eius
 introitum per angelos tuetur. Sed forte quibusdam haec
 derivatio originis relegationis nimis longe videbitur ar-
 cessita, cum hoc, quod Adamo atque Eva acciderit, cum
 poena illa, de qua in praesenti sit sermo, vix ac ne vix
 quidem possit comparari. Emissio enim, inquit, ex
 Paradiso non poena, sed potius beneficium est dicenda, cum
 Summum Numen decreverit eam hanc ob causam, ne ho-
 mines lapsi gustarent fructus ex arbore vitae, iisque insignem
 quidem acquirerent sibi longevitatem, sed simul ingentem
 calamitatum multitudinem ferre cogerentur. Deinde, per-
 gent, nostra delinquentis proscriptio non solum in mutan-

^{a)} Genes. III, 22. seq.

do loco, sed praesertim in vitanda societate, cuius erat membrum, consistit, quod vero ad primorum parentum egressionem ex Paradiso non potest accommodari, cum nulus homo, praeter illos, eo tempore viveret, et, migrante Adamo atque Eva, omnis migrabat societas humana. Quae vero dubitationes ita sunt comparatae, ut nequaquam sententiam nostram, privationem iuris civitatis primis mundi temporibus cepisse initium, labefactare possint. Abstinebimus quidem, cum in praesenti commentationem Philosophicam, non vero Theologicam, nec observationes ad explicandum S. Codicem conscribendi sit animus, la prolixia disquisitione, num per emissionem Dei protoplastos beneficio quodam afficerit, nec ne, sed statim concedamus prius, cum hoc non impedi e videatur, ut illa poenis annumeretur. Potest enim, quod nemo negabit, res quaedam simul, sed diverso respectu, loco poenae esse beneficii que. Hanc vero emissionem primorum hominum poenae nomen mereri, tum ex nexu verborum, tum ex consideratione vocis Hebraeae וְאַ a Spiritu S. adhibitae, et in aliis Verbi revelati locis non amicam et honorificam dimissio nem, sed coactam electionem, ex parte agentis cum indi gnatio-

gnatione, ex parte vero illius, qui patitur, cum ignominia
coniunctam significantis, patet. Ad alteram quodatim in dubi-
tationem, negandum quidem non est, nisi quis cum Peyre-
rio aliisque de Prae Adamitarum existentia somniare vellere
Adamum atque Evam omne eo tempore constitisse genus
humanum, tamque ob caussam protoplastos a nulla so-
cietate humana fuisse secretos, sed longe praestantior erat
socieras, qua privabantur. Nullum enim est dubium,
quin illi ante lapsum multo familiarius cum Summo
Numine, et fortasse etiam cum angelis, fuerint conver-
sati, quam post peccatum comissum disturbancemque
ex Paradiso. Sed, si etiam comprobari posset, ortum
relegationis ex civitate non ex temporibus illis esse peren-
dum, qua vero in sententia, praeter alios, IO. IAC HOFMANNVM
nobiscum consentientem habemus, ad eximiam tamen huius
poenae antiquitatem confirmandam exemplum Caini a Deo
proscripti sufficere posse, existimarem.^{b)} Hic enim, fratre
occiso, coram iudicio Divino, ob crimen perpetratum, hac
cumprimis poena afficiebatur, ut sit vagus, et profugus super
terram. Cuius sententiae sensum Cainum bene intellexisse,
haec eius indicat querela: En eiciis me hodie a facie terrae,

^{b)} Genes. IV, 12. seq.

et a facie tua abscondar, et vagus ero, et profugus in terra.
 Omnis igitur, qui invenerit me, me occidet. Quae verba,
 tum Summi Iudicis, tum condemnati Caini tanta gaudent
 perspicuitate, ut unusquisque ex illis, Caino poenam electio-
 nis ex civitate, et expulsionis ex societe hominum eo tempo-
 re viventium, fuisse impositam, cognoscere queat, et superflu-
 um omnino foret, in hoc demonstrando, diutius commorari.

*Eius exerciti-
um, in spe-
cie apud He-
braeos,*

VIDEAMVS potius, qua ratione hic puniendi modus
 usque ad nostram aetatem sit propagatus. Eum in re pu-
 blica Hebraea non fuisse inusitatum, tum expulsio Ismae-
 lis e familia domoque Abrahami,^{c)} tum in primis factum
 probat Salomonis in Abiatharum, qui sese rebellionis
 eius, quam excitaverat Adonia, reum fecerat. Remo-
 vebatur enim ab aula, et officio, habitatio in urbe Hierosoly-
 morum ei interdicebatur, et Anathoth tanquam exilio assi-
 gnabatur ei locus,^{d)} quod et posterioribus temporibus
 fuisse observatum, invenimus.

apud Graecos,

NEQUE aliae gentes ab hoc, sceleratos iure civitatis
 privandi, abhoruerunt more, quod praesertim Graeco-
 rum Romanorumque docent exempla. Quod ad Grae-

c) Genes. XXI, 9. seq.

d) 1. Reg. II, 26.

cos

cos attinet illi hanc florebat poenam duplice exercebant modo. Vel enim reus in aeternum proscribebatur, omnesque amitterebat opes, quod φυγὴ dicebatur, vel exilium eius apud Athenienses ad decem, apud Syracusanos autem ad quinque tantum restringebatur annos, iisque in patriam reversis bona reddebantur, quod illi nomine διστρεπτός denotabant quoniam ὀσεῖνος, sive testis, in suffragiis, quibus relegatio cuiusdam decernebatur, utebantur, pro quibus Syracusani πέταλα, seu folia, accipiebant, eamque hanc ob caussam appellabant πεταλισμὸν.^{c)} Abutebantur autem hac poena saepissime Graeci, cum non fontes solum, sed etiam optimos quoque cives e republica eliminarent, ut eorum inimicis satisfacerent arque insidiatoribus, quod etiam apud Romanos haud raro accidisse, exemplum Ciceronis multorumque aliorum satis testatur.

NON uno vero eodemque modo Romani hanc impo-^{apud Roma.}
nere poenam, quae plerumque ad medianam capitidis diminu-^{not.}
tionem referebatur, solebant, quemadmodum et varia ei

B 2 tribue-

^{c)} Vid. POTTERI Archaeologia Graeca Lib. I. Cap. XXV. et SVIDAE Lexicon sub his vocibus.

tribuebant nomina, scilicet exilii, deportationis, proscriptionis atque relegationis, quas voces promiscue pro ciectione ex civitate in hac tractatione nos usurpasse, hic monemus. Communissimum erat exilium, ita dictum, quia exules extra solum civitatis vivunt, quod a non nullis progenere omnis civitatis privationis habetur, et consistit proprietate in eo, ut ille, qui in exilium erat mittendus, omni civitatis iure et bonorum possessione privaretur, servata tamen libertate sese, quo velit, conferendi. Interdicebant enim ei aqua et igne, quibus nullus homo unquam potest carere, hocque medio eum cogebant, ut civitatem relinqueret. Ab hoc differebat deportatio, cum civitate eliciendi etiam hanc libertatem amitterent, et navibus in insulas deportarentur asperiores. Proscriptione, quaeratur, vel rei, vel personae, urebantur in primis contra eos, qui fuga salutem iam petierant, dum iis redditus in civitatem vetaretur, nominaque eorum in tabulis scripta loco affigerentur publico. Relegatio denique erat omnium lenissima poena, cum relegati non solum ius civitatis, opesque suas, reninerent, sed etiam iis certum assignaretur tempus, quo praeterlapsi, in civitatem poterant reverti.

No.
f) Conf. ROSINVS in Antiquitatibus Romanis Lib. IX. Cap. XVII.
et ISIDORVS in originibus Lib. V. Cap. XXVII.

NOSTRIS temporibus hanc in usu esse poenam ad punienda civium scelerata, non magna indigebit demonstratio, cum in omnibus fere regionibus quotannis haud pauci, tum ex infimis populi, tum ex proceribus, ex civitate societateque efficiantur.

TRANSMIGRAVIT autem haec consuetudo e foro ci-vili ad statum Ecclesiasticum, ibique nomen est adeptus ^{in statu Ecclesie} ^{Justifico, Mi-}
excommunicationis. Non enim solum Iudei eos, qui ^{litari et Le-}
crassiori se polluerant criminis, a communione proborum
excludere, eosque nec ad sacra facienda, nec frequentanda,
admittere solebant, sed etiam apud Christianos hic mos
invaliduit, ut indigna ecclesiae membra a coetu puriori segregentur, neque ea prius, quam resipuerint, recipiantur.^{g)}
In re militari idem invenitur puniendi genus, cum praefertim furti rei non ulterius in cohorte et legione tolerentur, sed extrudantur. Neque res publica eruditorum ab hac abstinuit poena, siquidem et eius immorigeri cives maiori minorive puniuntur relegatione.

B 3 CVM

g) SELDENVS de Symedriis Ebraeorum Lib. I. Cap. VII.

h) QVENSTEDTIVS in Antiquitas. Part. I. Cap. XIV. n. 2.

*Haec poena
iure naturae
est licita, cum
poenit, in hoc
iure naturali
delineatis, sit
conformis.*

Cum igitur exterminatio ex civitate tanta gaudeat antiquitate, tamque late sepe extendat, ut illa omnibus fere temporibus, locis, reique publicae statibus adhibita, inveniatur, operaे erit pretium, ut ad illud, quod ius naturae circa hanc statuat poenam, attendamus. Quod ut eo felicius fiat, necessum est, generalem poenarum ut praemitemus definitionem, cum proscriptio ad poenas pertineat. Est vero poena, ut eam Grotius^j atque Pufendorfius^k principes inter iuris naturae gentiumque doctores, describunt, malum passionis, quod infligitur ob malum actionis, quam definitionem alii, cum in eo, tum caussa efficiens, tum finalis, sit omissa, ita supplendam esse putant, ut sit malum passionis, quod a superiore infligatur ob malam actionem ad conservandam civitatis salutem. Demonstrandum igitur nunc est, hanc relegationem ita esse comparatam, ut cum hac descriptione poenarum generali conueniat. Cum enim iure naturae sit licitum, poenis ad tuendam legum auctoritatem securitatemque publicam uti, certe etiam neque missio in exilium

^j) *De iure belli et pacis Lib. II. Cap. XX. §. 1.*

^k) *De iure naturae et gentium Lib. VIII. Cap. III. §. 3. et de officio hominis et civis Lib. II. Cap. XIII. §. 4.*

exilium poterit esse contraria, si cum constitutione poenarum in iure naturae promulgatarum conveniat, iisque annumerari possit.

Vt vero ordine procedamus, ante omnia est investi-
gandum, num hic puniendi modus malum quoddam pa-
fionis contineat, ad quod non nisi affirmando erit respon-
dendum. Nam

*Continet e-
nim malum
quoddam pa-
fionis,*

Πλλλ' ἵφεληται φυγή.
κανά ξύν αὐτῇ. 1)

SENECA quidem, quando exilium ita definit, quod sit loci
commutatio,²⁾ non idem statuere, videtur. Quid enim
magni inest mali, si domicilium mutatur, et in alium con-
fertur locum. Sed si consideramus, Senecam non solum
hanc definitionem ad consolandos eorum animos, qui in-
iuste ad exilium sunt condemnati, protulisse, sed etiam
ipsum paucis interiectis verbis adiecisse, quod hanc com-
mutationem loci sequantur incomoda, paupertas, ignomi-
nia, contemptus, facile cognoscemus, illum nobis non
esse contrarium, neque etiam potuisse, cum tanta certe

funt

O EVRITIDES in Medea.

2) Consolat. ad Helviam.

sunt coniuncta mala cum electione ex civitate, ut vix maiora inveniantur. Summa enim cum ignominia proscribendus ex civitate pellitur, cognatos, amicos sociosque cogitur relinquare, omnibus negotiis cum eo interdictum est, opes, nisi omnes, tamen magnam earum partem amittit, a nullo solatium auxiliumque potest sperare, omnibus iniuriis expositus a nemine defenditur, omni iure civitatis, omnibusque fructibus ex eo percipiendis, privatur, nulla ulterius fruitur securitate, et quae sunt reliquae calamitates, quarum contemplatio nos eo potest ducere, ut credamus, exilium esse malum, et quidem passionis. Quamvis enim emigratio ex urbe actio sit dicenda, hanc que ob causam relegatio non inter poenas, quae sunt mala passionis referenda videatur, attamen cum non ad fictionem exulis coactam, sed potius ad miseriam illam cum hac egressione ex urbe connexam, in poenae impositione respiciatur, nullus relinquitur scrupulus, proscriptionem, ut aliae poenae, in malo consistere passionis.

quod infligi- *SED* accedamus nunc ad eum, penes quem alias re-
tur a superi- legandi ius est. Cum exterminatio e civitate sit poena,
ore, *poenas*

poenas vero exigere superiori competat, facile potest con-
cludi, eum quoque reos proscribendi gaudere potestate.
GROTIVS quidem nobis persuadere cupit,ⁿ⁾ hoc ius non
ad superiorem tantum spectare, sed potius unicuique civi-
um licere; alium poena quadam afficere, si modo puniens
non iisdem vitiis, quorum causa alter est puniendus, ipse
inquinatus fuerit. Quae si ita essent, sequeretur omnino,
omnibus etiam civibus alios relegare esse concessum. Sed
miram hanc tanti viri opinionem alii iam satis refutarunt,
et demonstrarunt, eam ex confusione poenae cum vindicta
esse ortam, siquidem, si aequalis illi, a quo laesus, malum
quoddam passionis infligit, vindictam modo privatam exer-
cit, quae tamen in civitate non toleranda, sin vero superior
legis violationem animadverit, poenam imponit. Hoc vero
ius poenarum in genere, et proscriptionis in specie, non
caivis civi, sed soli principi, vel summo magistratui, con-
venire, ex ipsa Grotii poenarum definitione, supra iam
adducta, patet. Affirmat enim in ea, poenam esse ma-
lum passionis, quod infligatur ob malum actionis. Hoc
malum, quod in actionibus latet, est earundem aberratio
C. a legi-

n) Loc. cit. Cap. XX. §. 3. & XXI. §. 3.

a legibus, quae a nemine, nisi superiore, vi pacti, quod
cives cum eo fecerint, possunt promulgari. Qui vero
ius leges ferendi possidet, illius etiam est, curare, ut au-
toritas legum semper inconclusa servetur, omniaque,
quibus violari possit, removeantur. Cum igitur malae
actiones legibus repugnant, soli superiori convenit eorum
transgressores malo passionis, sive poena, afficeret, ne
faepius. Vel idem, vel alii, contra leges agant. Hoc ta-
men quam lubentissime concedimus, non semper sum-
mum civitatis magistratum, sed etiam haud raro inferio-
rem, fontibus poenam infligere, quod vero non propria
auctoritate, sed iusta facit supremi. Absit ergo, ut unicui-
que ciuium hoc ius proscribendi tribuendum esse, statua-
mus, praesertim cum, omnibus si concederetur, maximo
hoc fieret cum reipublicae detrimento, quae profecto perbre-
vit temporis spatio, et plurimis, et optimis, privaretur ciuibus.
Sed fortasse tamen, praeter superiorē, universa etiam civi-
tas delinquentes eiiciendi fruitur potestate? Ad quod respon-
demus, civitatem omnino hoc ius habere posse. Non
enim legibus naturae repugnat, si civitas, quae quandam
in numerum ciuium recepit, eundem, quando hoc bene-

ficio

ficio sese reddidit indignum, etiam expellit. Atramen,
cum civitas omnem, qua pollebat, auctoritatem, ideo-
que et ius poenarum, superiori tradiderit, iam missio in
exilium solummodo in huius voluntate est posita, nisi
singulati pacto hac in re civitas sibi reservarit concursum.
Denique et minores societates, scilicet familiae, nos do-
cent, huius poenae irrogationem a familiae capite depen-
dere, cum unicuique patri familias sit licitum, non servos
solum, sed et liberos degeneres, domo sua eicere, eosque
omnibus exuere iuribus beneficiisque.

EXPOSITIS igitur iis, quae quaestionem, quisnam Civitatis res.
aliis exilii poenam infligere possit, concernebant, transea-
mus iam ad subiectum huius poenae passivum, sive ad
eum, qui est proscribendus. Insontes hac aliisve afficere
poenis, non solum iure prohibetur naturali, sed etiam con-
tra ipsam poenae est naturam, quae requirit, ut necessa-
rio crimen commissum antecesserit. Sed neque etiam
omnes, qui actu quoddam facinus perpetrarunt, statim
sunt relegandi. Malum enim actionis, quod poenam
meretur, ita comparatum esse debet, ut destinato

animo sit commissum. Hinc neque infantes, neque
mente capti, quamvis in rem publicam deliquerint, ad
exilium sunt condemnandi, cum usu rationis destituti
magnitudinem mali tum actionis, tum passionis, non
accurate potuerint perspere. Neque etiam contra eos
haec poena est exercenda, quibus non voluntas peccandi
fuit, quique, vel casu quodam fortuito, vel saltem ex im-
prudentia, aliquid ad damnum civitatis contulerunt. Qui
vero bene intelligit, illud, quod sibi propositum fuerit,
legibus esse prohibitum, quem non fugit, qualis harum
actionum malarum sit exitus, qui diu nocteque medita-
tur, qua ratione illud possit effici, ab eo certe, facinore per-
petrato, poena relegationis summo cum rigore est exigendae,
nihilque interest, cuius vel sit sexus, vel condicio-
nis, si modo sit civis. Nullus enim civitatis iure privari
potest, qui illud non possidet. Quare peregrino reo omnis
quidem in urbe commoratio interdici, non vero poena
exilii imponi posse videtur. Sed, num universa civitas
possit proscribi, iam quaeritur. Ad solvendam hanc quaesito-
nem respiciendum est ad diversam civitatis conditionem.
Si enim in se spectatur, hoc nunquam fieri potest, cum

alias

alias superior, cui ius relegandi competit, se ipsam, tanquam unam civitatis partem, relegaret, quod vero esset absurdum, vel si etiam tantum alteram partem, nimisrum cives, hac afficere vellet poena, ageret tum contra regulas prudentiae, si quidem se ipsum plurimis privaret subditis, tum contra officium, quod in eo consistit, non ut civitatem tollat, sed ut eius curer salutem. Longe vero aliter res sese habet, si civitatem contemplamur tempore belli victori subiectam. Hanc enim vicit, si contra eum deliquerit, punire, eam solvere, membraque eius in exilium mittere posse videtur.

CVM poenae a superiore non infligantur inferiori, nisi ob malum actionis, inquirendum nunc est, quaenam crimina exilio sunt punienda. CICERO quidem paucis verbis rem omnem expedire studet, dum affirmat, exilium ibi esse, ubi virtutis non sit locus. <sup>ob delicta anni
versim civi-
tatem concer-
nentia,</sup> Sed, quamvis haec sententia cum veritate nonnunquam conveniat, non tamen est sufficiens, ut ex ea possit cognosci, in quibusvis singularis delictis poenam relegationis esse adhibendam, cum multae dentur actiones virtuti contrariae, quae vero exilium

C 3

non

•) *Orat. pro Milone Cap. XXXVII.*

non merentur. Ad leges naturae quod attinet, neque illae hanc quaestionem perfecte dijudicare videntur, cum in genere non accurate determinent, quibusnam poenis singula sint animadvertisenda scelera. Hoc tamen suadent, ut in omni impositione poenae proportio quedam observetur inter poenam ipsam, et delictum atque delinquenter. Non enim quodvis crimen uno potest eodemque semper puniri modo, sed attendendum est in eo, num persona agens ad proceres, an ad inferiores civitatis, pertineat, num hoc delictum iam saepius ab eodem fuerit commissum, vel etiam ab aliis committatur, num insigne ex eo enascatur damnum, quae res circumstantes poenam vel augent, vel minuunt. Si igitur poenae criminibus accomodatae esse debent, nulla certe delicta maiori iure possunt delinquentis ex civitate electionem, quam illa, quae universam civitatem eiusque caput directe attingunt, et securitatem publicam incolumitatemque civitatis turbant, inter quae praecipua sunt proditio et rebellio. Quid enim iustius est, quam ut ille, qui hostibus arcana civitatis prodit, ipse pro civitatis hoste habeatur, omnique eiusdem iure privetur, et, cum civitatem in summam

praeci-

praecipitare calamitatem fuerit ausus, ipse exilio in sum-
mam agiterur miseriā? Quid aequius est, quam ut re-
bellis, qui imperium civitatis eiusque superiorem non vult
agnoscere, etiam non ulterius inter cives toleretur, et,
cum securitatem tranquillitatemque civitatis publicam
evertere contenderit, ipse quoque ab hoc felici civitatis
statu removeatur atque urbe expellatur? His annumerari
posse incendiarii videntur, siquidem et ii, vel vindicta,
vel aliis caussis pessimis, adducti felicitatem publicam tol-
tere, civitatique ingens afferre damnum student. Reli-
quorum vero criminum plurima ita sunt comparata, ut,
si per se considerentur, non directe ad universam spectent
civitatem, ideoque nec poenae exilii sunt proportionata.
Vel enim Summum Numen et salutem publicam totius
generis humani offendunt, quae vero non relegatione,
quandoquidem a magnitudine criminis longe superatur,
sed morte sunt punienda, vel ad privata societatis mem-
bra eorumque securitatem pertinent, et his haec poena
iusto est durior. Potest tamen fieri, ut etiam legibus na-
turae liceat, commissa delicta utriusque generis hac affi-
cere poena, si nimirum res circumstantes priorum quali-

tates

tates minuant, posteriorum vero augent, et hac ratione maiorem inter poenam et crimen proferunt convenientiam. Non possumus vero, quin prius, quam obiectum huius poenae relinquimus, paucis saltem verbis exilio, quo ob religionem aliquis afficitur, quatenus iuri naturae est consentaneum, mentionem faciamus. Proprie quidem nemo hanc ob causam debet relegati, cum unusquisque libertate credendi gaudet, neque ad hanc illamve religionem amplectendam vi est cogendus. Sin vero, vel legibus fuerit sancitum, ut nullae aliae religiones praeter receptam in civitate sint tolerandae, vel si peregrinae religioni adscripti tumultum in civitate excitaverint, tunc legibus etiam naturalibus licitum est, quandam ob religionem in aliorum usurpatam perniciem exilio multare.

*ad conservan-
dam civitatis
salutem secu-
ritatemque
publicam,*

RESTAT denique, ut adhuc consideremus, quem in finem ab illis, qui contra rempublicam peccarunt, superior proscriptionis exigat poenam. Qui quidem finis nullus est alias, nisi ille, ad quem in omni poenatum irrogatione respici oportet, nimirum, ut ea salus securitasque totius civitatis publica conservetur, et ampli-

plificitur. Omnem igitur relegationem felicitati reipublicae contrariam esse intermittendam, per se patet. Cum vero ad consequendum hunc finem cura conferri debeat, tum ad laudentem, ut emendetur, tum ad laesum, ut ei satisfiat, tum ad reliquos cives, ut deterreantur, ne iisdem fese polluant vitiis, nec sociis vim inferant, videamus, qua ratione triplex hic finis proscriptionis poena possit obtineri. Quod ad emendationem relegandi attinet, primo quidem intuitu videtur, eam non adeo hac in poena esse attendandam, cum reipublicae parum intereat, num melior peiorve evadat, qui extra fines reipublicae commoratur. Sed haec opinio statim evanescit, si nobiscum reputamus, hunc hominem, qui iam in exilium est mittendus, ius quidem nostrae amittere civitatis, eum tamen ius magnae illius huius universi retinere civitatis, cuius cives et nos sumus, eamque ob causam, quamvis nexus ille specialioris civitatis cum eo solvatur, nos tamen copula societatis universalis semper coniungi, neque officia cessare, quae ei tanquam homini debemus, quaeque se ad curam eum emendandi extendunt. Videatur etiam proscriptionem ad hunc finem in civitate, si

anila

D

natu-

naturalem eius formam consideramus, assequendum, esse idoneam. Privatio enim iuris civitatis, opum iactura vel iam facta, vel adhuc metuenda, ignominiosa ex urbe eie^ctio, vitae discrimen, in quo versatur, aliaeque calamitates, quae exulem concomitantur, facile cum ad meliorem mentem reducere atque efficere possunt, ut ille, si aliquando, vel in nostram iterum, vel in aliam recipiatur civitatem, tanquam civis bonae frugi in ea vivat. Sed progrediamur ad alterum poenarum finem, qui consistit in laesi satisfactione, quae duplex est. Partim enim poscit adempi restitutionem, sive indemnitatem, si talis fieri potest, partim vero, et quidem praesertim, cautionem, ne alter ei imposterum sit nocitus. Vtramque satisfactionem praeber exilium parti laesae civitatis universae. Hac enim poena tollitur causa turbationis, quae civitatem presserat; contra vero ei redditur pristina salus atque securitas, et ex publicatione honorum relegati, si quaedam habuit, damnum, quod civitas fecerat, potest resarciri, neque ulterius hic sceleratus expulsus a civitate est metuendus, dummodo civitas sibi prospexerit, ne ei absentia sua nocere queat, cum,

alias

alias poena exilii, quae huic delinquenti est imposta, ipsi civitatis obesse in columbia, ^{mit} Supra vero iam monuimus, neminem esse proscribendum, ex cuius electione civitas damnum capere quoddam posset. Ultimus de-
nique finis, qui poena relegationis infligenda intenditur, est exemplum, quod reliquis datur civibus, ut ex eo cognoscant, quam tristis scelerum sit exitus, ne eadem perpe-
trent, sed potius aliorum damno discant ipsi cautius mer-
cari. ^{bus} Ut vero hic finis eo facilius imperetur, nihil est
negligendum, quod magnitudinem poenae in animis ci-
vium potest augere, quare non clam, sed publice, non
nocte, sed die, certisque quibusdam adhibitis ritibus, de-
linquens est eiiciendus, cum externis homines saepissime
facilius, quam legibus optimis, moveantur.

Hic igitur est finis, quem exilii poena semper con-
sequi deberet, sed, num etiam semper eum consequatur,
quaestio est ex constitutione civitatum singularum diudi-
canda. Si enim civitates consideramus, prout nunc ea,
rum est facies, stamus a partibus eorum, ²⁾ qui iudicant,

Quem tamen
finem in no-
stris civitati-
bus exilium
non semper
consequitur.

P. 2 same argumentum plus
2) Conf. v. IUSTI Grundzüge der Policey-Wissenschaft §. 108. pag. 27. seq.

plus plerumque damni, quam lucri, eas percipere ex prescriptione scelerorum; neque veremur, fore, ut nobis dubitatio interponatur, hanc sententiam iis, quae antea affirmavimus, adversari. In antecedentibus enim demonstrare modo voluimus, lexilium in civitate naturali sua forma gaudente poenam esse iustum, et iure naturae licitam. In his vero statuimus, hanc poenam respectu praesentis civitatum conditionis saepe esse inutilem, quod non priori repugnat, cum aliquid iustum esse possit, atque licitum, nec tamen semper utile. Proscriptionem autem nostris civitatibus plerumque verum afferre incommodum, ex variis probari posset rationibus, sed cum breviti studeamus, tres tantummodo adducere sufficiat. Primo relegatio nostris temporibus ita est comparata, ut fere pro nulla, vel saltem poena levissima, praesertim quando cum verberibus publice infligendis non est coniuncta, ab iis, quibus imponitur, habeatur. Si enim illa in hac nostrarum civitatum conditione tali gauderet gravitate, non certe tot scelerati quotannis exilio multarentur, quod tamen fieri solet. Tanta pigitur huic poenae iam non inservi mala, ut iis proscriptus emendari, aliique eorum consideratione

a vitiis

a vitiis iisdem perpetrandis possent retineri. Quem enim relegandum in praesenti civitatum statu movebit, quando iure civitatis privatur, quod flocci pendit; quando liberos relinquere cogitur, quos ultiro et labentissime magistrati ad alienum tradidisset; quando sodales suos amittit, cum tanquam flagitosis omnibus locis amicos sui similes recuperare possit; quando, opibus eum esse exuendum, pronunciatur, quas tamen non habet, cum saepissime pauperes atque egeni mittantur in exilium; quando civitate expellitur, cum tot aliae ei pateant, in quibus forasse adhuc facilius feliciusque officinam malitiae potest exstruere; quando ab officio removetur, cuius administratio ei non curae fuit cordique; quando infamia afficitur, cum actiones infames suscipere non erubuerit. Haec certe mala neque relegandus sentit, nediam ut eorum molestia prematur atque emendetur, neque alii eius exemplo meliores redduntur, sed potius maiori impetu talia committunt scelera, quoniam scunt, si etiam aliquando hac afficerentur poena, se ubivis ea, quae ad vitae alimenta pertinent, vel mendicando, vel saltrem laborando, sibi acquirere posse. Deinde proscriptio no-

stra aetate nihil ad civitatis salutem consert, quoniam, dum unus sceleratus ex civitate expellitur, alter, nonnunquam peior, eam intrat. Non enim potest fieri, quin si nostra civitas quendam ex finibus exterminat suis, eum necessario in vicinae civitatis territorium pellar. Hoc ius, quod nostrae civitati competit, id etiam altera possider. Mitrit ergo suos exules in nostram civitatem, cumque non una, sed plures sint civitates, quae nostrae sunt sinitimae, et idem hoc ius habent, per se patet, quod relegatione in civitates, prout praesens earum est conditio, tot plerumque, si non plures, malitiosi immittantur, quot ex iis expellantur. Ut taceamus, illum ipsum, quem ex nostra civitate eieimus, brevi temporis spatio in eam, vel clam, vel mutata forma sua externa, redire posse. Tertia denique est ratio, quae civium dissuadet proscriptionem, quoniam cives relegandi civitatis commodum adhuc augere possent, si in civitate retinerentur, iisque quidem non ulterior concederetur libertas, ut impune possent peccare, neque per carceres, aut vincula, facultas, nisi omnis, tamen quoad maximam partem, civitati inserviendi, adimeretur, sed si ad labores publi-

eos, nimirum ad metallifodinas, ad remigia, ad munien-
da castella, et ad alia opera, quae ad utilitatem universae
civitatis spectant, damnarentur.^b Hac enim ratione et
puniuntur, et ipsa poena ad emolumentam reipublicae
aliquid conferre tenetur.^{iij} Cum igitur relegatione delin-
quens a laboribus publicis, et a commodo reipublicae
amplificando liberetur, unusquisque facile ex his colligere
potest, quod huiusmodi poena civitatibus plus saepe detri-
menti afferat, quam utilitatis.

SUFFICIENT autem ea, quae hactenus ad explican- *Conclusio.*
dum ius relegandi, eiusque in republica usum sunt dicta,
quaeque ex Philosophia, et in primis ex legibus iuris na-
turae, regulisque sunt hausta politicis. Essent quidem
adhuc nonnulla disquisitione digna, nimirum, an licitum
sit proscribendo notam infamiae inurere, an ei certum
tempus certusque exili locus sit definiendus, quali poena,
si redire auderet, sit afficiendus, an exiles iure adhuc quo-
dam fruantur, quænam officia iis sint praestanda, pluraque
alia, sed, cum temporis habenda sit ratio, vertam me po-
tius ad illud, cuius cauſa haec ^f.m praefatus. Constitui
enim

XXXII DE IURE RELEGANDI EIVSQVE IN REPUBLICA VSV.

enim mecum, annuente Summo Numine in paelectioni-
bus meis hac aestate instituendis quasdam Philosophiac
tradere partes, et quidem *Logicam* atque *Metaphysicam*
duce BAVMEISTERO, *In* vero *naturae* duce ACHEN-
WALLO explicare. Ad quas quidem, VOS COMMILITO-
NES OPTIMI HONORATISSIMI QVE, diligenter frequentan-
das scholas, eo, quo decet, studio, humanissime oto rogo que-
nas. P. P. Vitembergæ, ipso Feste Ioannis Baptista

A. P. C. N. c 10 CCLXII.



ULB Halle
002 671 204

3



PA 20

B18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



I V S
ELEGANDI 1762 29/9
E I V S Q V E
E P V B L I C A V S V M
E X L E G I B V S
N A T V R A E E T G E N T I V M
G V L I S Q V E P O L I T I C I S
I L L V S T R A T
S I M V L Q V E
E C T I O N E S S V A S A E S T I V A S
I N D I C I T
V S G O D O F R E D V S C H R I S T I A N V S
S C H R O E D E R V S
T. P H I L O S O P H. A S S E S S O R. O R D

V I T E M B E R G A E
O F F I C I N A G E R D E S I A N A